



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim

Innozenz <III., Papst>

Parisiis, 1682

Eisdem.

urn:nbn:de:hbz:466:1-20006

bat. Quia verò nobis non constitit de præmissis, causam ipsam discretioni vestra de assensu partium duximus committendam; per apostolica scripta præcipiendo mandantes quatenus de præfata sententia cognoscentes, si eam inveneritis rationabiliter fuisse prolatam, confirmantes ipsam, faciatis auctoritate nostra remoto appellationis obstaculo firmiter observari. Alioquin ex integro de causa cognoscentes, juxta formam prioris commissionis, quod canonicum fuerit statuatis appellatione remota, cogentes partes per censuram ecclesiasticam &c. Nullis litteris obstantibus præter assensum partium &c. Quòd si omnes &c. duo &c. Dat. Lat. V. Idus Iulij.

ABBATI ET CONVENTUI
de Waltham.

Cum vos & Ecclesia vestra, in qua estis de novæ plantationis origine & assumptione religionis Dei obsequio mancipati, de gratiâ sedis apostolicæ tanquam speciales filij, specialibus merueritis privilegiis honorari, providere volumus ne in his quæ de jure & dudum observata consuetudine obtinetis, injustæ vexationis dispendium subeatis. Ut itaque religio quæ in Ecclesia vestra laudabili noscitur inchoata principio, bonis secundum Deum progressibus amplietur, & vos à matre vestra Ecclesia Romana jura vestra sentiat illibata servari, ad exemplar bonæ memoriæ Celestini Papæ prædecessoris nostri præsentibus litteris vobis duximus indulgendum ne in Ecclesiis ad representationem & ordinationem vestram spectantibus aliqui Clerici, nisi à vobis præsentati fuerint, ordinentur, vel ad earum regimen præter assensum vestram & conniventiam admittantur. Si verò contra hæc ausu temerario aliqui venire præsumperint, & jura vobis debita sibi usurpare tentaverint, factum & præsumptionem eorum viribus carere decernimus, & per vos auctoritate apostolica, qui taliter intrusi fuerint, concedimus amoveri; nisi fortè, quod absit, præsentationem & ordinationem earum constiterit vos malitiosè differre. Nulli ergo &c. indulgentiæ nostræ &c. Datum Laterani III. Nonas Iulij.

E I S D E M.

AD notitiam apostolatus nostri pervenisse noveritis quòd Archidiaconi & officiales eorum contra statuta Lateran. Concilij ad Ecclesias vestras majore quàm debeant numero evectionis accedunt, & aliis eas gravaminibus indebitè opprimentes, ita graves in procurationibus suis existunt, quòd nonnunquam longi temporis victum brevis hora consumat. Eapropter, ne de cetero talia præfati Archidiaconi vel officiales eorum attentare præsumant, ad exemplar bonæ memoriæ Celest. Papæ prædecessoris nostri auctoritate præsentium districtiùs inhibemus. Et si ab hujusmodi gravaminibus non duxerint abstinendum, liceat vobis receptiones, exactiones, & procurationes indebitas denegare. Quòd si propter hoc interdicti vel excommunicationis sententiam in Clericos vel Ecclesias vestras temerè jaculari præsumperint, indulgemus vobis ut eam non teneamini, utpote latam contra sedis apostolicæ statuta, servare. Nulli ergo &c. inhibitionis & indulgentiæ nostræ &c. Datum ut suprâ.

Epist. 117.
De procurationibus immodicis reprimendis.
Vide suprâ lib. 1. epist. 140. & infrâ lib. 10. epist. 88.

E I S D E M.

INCumbit nobis ex debito pastoralis officij &c. usque ad verbum annuimus, & præfatum monasterium, quod specialiter beati Petri juris existit, in quo divino mancipati estis obsequio, sub beati Petri & nostra protectione suscipimus, & præsentis scripti pagina communimus. Libertates præterea & immunitates antiquas & rationabiles consuetudines monasterio vestro per privilegia Romanorum Pontificum & scripta Regum & Principum prævia ratione concessas, & hæcenus observatas, ratas habemus, & eas perpetuis temporibus illibatas permanere sancimus. Decernimus ergo &c. protectionis & concessionis &c. Datum Laterani Nonis Iulij.

Epist. 120.
De confirmatione privilegiorum.

E I S D E M.

ERROR religionis & devotionis vestrae nos movet propensius & inducit ut præter commune debitum petitiones vestras, quæ rationi conveniunt, debeamus libenter admittere & utilitati monasterij vestri, quod ad jurisdictionem beati Petri & nostram specialiter pertinet, pastoralis sollicitudine provide-

Epist. 121.
De eodem argumento.

Ggg ij

Epist. 118.
De assensu partium pro-
tiam.

Epist. 118.
De præsentatione Clericorum.

Epist. 118.
Commissio
lis cognoscere
sua Epist.
i. Avon. t.
liberis
consue-
tude
p. 140.
118.